

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0819

0817

0823

0813

0828

0808

0868

0768

0918

0718

0318

Ende

Anfang

246

admittebantur, nec pagani, qui regnum Jerosolymitanum tenebant, advenientes peregrinos infestabant. Non enim restituerat Carolus regnum Christianis, nec illud sibi subjicerat sed tantum pacem inter Christianos et paganos reformaverat, quae diu durabilis non erat. Stante tamen pace cum magnis turmis occidentales loca sancta cottidie perlustrabant et noctibus in ecclesia dominici sepulchri dormiebant, quia nullum hospitium pro Latinis in civitate erat, nondum enim erant hospitalia nec aliqua ecclesia latina, sed ecclesiam sancti sepulchri et alias ecclesias Graeci inofficiabant. Accidit autem illis diebus, quod mercatores de Apulia quasdam peregrinas merces, quas oriens prius non noverat, lucri faciendi causa Alexandriam deferrent, quas credunt fuisse avellanas, sicut patet Parte II. fol. 118 A. Has merces tamquam pretiosas detulerunt ad regem Aegypti, qui et Arabiam, Palæstinam et Judæam gubernabat. Rex autem allectus novitate mercium mercatoribus illis in recompensam gratiam, quam peterent, se praestitum policebatur. Petierunt ergo et obtinuerunt, ut in Jerusalem, in quocumque loco voluissent, construere possent habitaculum pro peregrinis Latinorum. Sicque ante januam ecclesiae dominicae resurrectionis aedificaverunt monasterium in honorem beatae Mariae Virginis et abbatem et monachos latinos imposuerunt. Et quia Latini id fecerunt, locum ipsum nominarunt ad Sanctam Mariam de Latina, eratque dicta ecclesia vix ad lapidis jactum sita a dominico sepulchro. Abbas autem et monachi, viri religiosissimi, maxima cum caritate peregrinos ultramarinos recipiebant et humanissime tractabant. Confluente autem multitudine peregrinorum, virorum et mulierum, viri quidem recipiebantur intra monasterium, in domum hospitum, foeminae vero alibi, prout poterant, extra manebant et nonnumquam a Saracenis molestabantur et defectum patiebantur. Unde mouachi illi invocata Maria adjutrice peregrinorum aedificaverunt prope suum monasterium ad murum ecclesiae sancti sepulchri monasterium aliud foeminarum ad sinistrum templum ingredientis, quod ad sanctam Mariam Magdalenam dicebant, et in illo recipiebantur mulieres peregrinae et bene tractabantur. Sicque facta est peregrinorum occidentalium melior conditio in

